

PHILIPPVS ARCHIDVX AVSTRIAЕ, ET IN-
fans Hispaniarum.



Philipus filius fuit Maximiliani Cesaris, atque
Mariæ ducissæ Burgundiæ, filiæ Caroli ultimi
Burgundiæ ducis. Hunc pater Brugis in Flandria,
anno millesimo quadrageentesimo septuagesimo
octauo, natum optimis parentibus educādum tra-
didit, atq; omnis generis uirtutibus imbui iussit. In
ter eos fuit Franciscus Buslidius, qui postea Vison
tinus Archiepiscopus constitutus est. Hic cum a-
dolescensset, Ioannam Ferdinandi & Elizabethæ re-
gum Castiliæ & Arragoniæ filiam uxorem duxit,
atq; pulcherrimam prolem ex ea progenuit. Cum
is in Hispaniam ad nouam sponsam pergeret, atq;
Maximilianus cum Gallo pacem fecisset, Parisijs
honorifice excipitur, atq; cum magno comitatu in Hispaniam dimittitur. In
Germaniam rediens Maximilianus pater eum Belgis præfecit, atq; Archidu-
cem Austriæ constituit. Postea uero Elizabetha socrus moritur, atq; regna e-
ius ad Iohannam seniorem filiam deuoluūtur. Itaq; Philippus anno millesimo
quingentesimo sexto Flandria soluit Hispaniam petiturus, ut Castellæ regnū
susciperet. Verū magna tempestate maris orta, præter expectationem in
Angliam peruenit. Itaque Heinricus septimus rex eum benignè suscepit, at-
que foedus inter Burgundiæ principes & Angliae reges prius uiolatum cum
eo renouavit. Inde fœliciter in Hispaniam nauigauit. Erat eius aduentus ob
honestam nominis famam gratissimus, ita ut proceres Ferdinando relicto, se-
se agminatim ad Philippum conferrent. Itaque Ferdinandus suorum leuita-
tem detestatus Neapolim profectus est.